Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA,

sistens

ÆGRUM LABORANTEM DOLORE ISCHIADICO,

Quam

IN ILLUSTRI ACADEMIA SALANA,

PRÆSIDE

Nobilissimo, Excellentissimo atq; Experientissimo,

DN. GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO,

Med. Doct. Theoret. P.P. Archiatr. Saxon. S.R.I. Natur. Curios. Adjuncto, & Academ. Recuperatorum in Italiâ Collegâ,

Dn. Patrono, & Studiorum Promotore suspiciendo,

publicæ Philiatrorum disquisitioni subjiciet

in Auditorio Medico,

horis consuetis,

RESPONSURUS AUTOR,

MARTINUS Hohberg / LIGNIC. SILES.

ad diem Augusti A. MDCLXXXI.

JENÆ,

LITERIS KREBSIANIS.

18



α. ω.

PROOEMIUM.

Nullus est ex omnium morborum genere, qui majoribus, ac dolor, molestiis scatens tot suspiria, clamores, ejulatûs ægris extorqueat. Hic accensas furiarum faces æmulatur, quibus miseri dirissimè nonnunquam affliguntur; ut mori sæpè malint, si daretur electio, quàm cruciatus tam immanes ac intolerabiles diutiùs perpeti. Quinimò multos eò legas adactos, ut consultius esse duxerint, violentas sibimet manûs inferre, quàm acerbissimis longè vexationibus ulteriùs agitari, hocque desperato ac infelici consilio vitam cum morte commutare ausos fuisse.

Præterea etiam, quod de febribus *Seneca* dixit *epist. 95.* id dolori eodem, si non majori, jure applicare poterimus, dicendo: ejus genera innumerabilia esse.

Silentii enim peplo involvemus, quæ minorum sunt gentium; nec multis memorabimus dolorem hypochondriacum, colicum, mesentericum, dysenteriam, stranguriam, pleuritidem, cardialgiam, cephalalgiam, odontalgiam, aliaque hujus commatis infausta nomina; neque doloris mentionem injiciemus, qui luxationi, contusioni, vulneri, lui venereæ supervenit; aut qui virginibus, dum menstrua erumpunt, vel gravidis partui vicinis, ac post eundem ad coxam accidit.

Instar omnium est arhritis, seu in universo corpore sæviens vagum in modum, vel constanter magis manuum & pedum officia disturbans. Satis fuerit, unius meminisse doloris ischiadici, etiam illis locis, ubi reliquæ arthritidis species rariùs visuntur, frequenter occurrentis.

Hoc dum facimus in exemplo proposito, supremum veneramur numen, ut omnia ex voto eveniant!

Historia.

VIr XLV. annorum, temperamenti melancholico-pituitosi, habitûs corporis mollioris, tempore hyemali & aliàs frigori exponere corpus solitus, ac in seram usque & intempestam noctem lucubrationibus incumbere, victu delectatus duriori, salitorum, infumatorum, pingvium, & muriatorum esu, vini generosi potum non abnuens largiorem, alvi obstructionibus laborans ob desidem vitam sæpiùs, Veneri indulgens, nec iræ temperans, à plurimis annis modò dolore hypochondrii, modò aliis symptomatibus scorbuticis, respiratione difficili, anxietatibus, subinde laboravit. Tempore autumnali frigido & pluvio corripitur dolore lumborum profundo, continuo & insigni, eoque per aliquot hebdomadas durante, protenso nonnunquam versus ingvina, frequentiùs versùs os femoris; sentit inde ardorem ejusdem, imò & tristem sensum ad genu, suram, & extima pedis produci, cum movendi difficultate, idque sinistro potissimùm latere, dextro salvo, nonnunquam & versùs superiora in humerum & brachium ipsum, nullo rubore & tumore conspicuo. Sequente tempore genua labant ob torporem residem, qui & manum exercet. Accensis dolorum facibus extrema nonnunquam frigent, crispan-

crispantur venæ & intumescunt, subsequo vago æstu. Somni adest defectus, appetitus mediocris. Petitur consilium.

ΑΝΑΛΥΣΙΣ.

AFfectus, quo æger laborat, à parte affectâ nomen indeptus, est DOLOR ISCHIADICUS, ab *Hippocrate* modò singulari numero ἰσχιάς, modò plurali ἰσχιάδες dictus, unde Barbari schiaticam suam effinxerunt; aliis *coxendicum morbus*, vel etiam, ut nobis videtur, commodè *arthritis lumbaris* audiens, Germanis das Lenden-oder Hüfft-Weh/ seu, apposito magis vocabulo, das Hüfft-Zipperlein.

Ne enim confusio nominum nos remoretur, operæ pretium erit, ex genuinis Hippocraticis fontibus, ipsâque quotidianâ praxi innixis, concipere dolorem ischiadicum duplicem; unum diffusum, latiùs patentem; alterum strictiorem, potissimùm circà acetabulum ossis ischii, in quo femoris os circumvolvitur, unicè consistentem.

Ille potissimùm hujus est loci, cujus tum alibi sæpiùs meminit divinus senex, tum præcipuè *l. de intern. affect. c. 54. t. 6.* & *l. 2. porrhet. c. 46. t. 1.* ut prosterioris *l. de affect. c. 30. t. 1. seq.* & *6. aph. 59.* Quam in rem etiam legi meretur *Aretæus l. 2. diut. c. 12. p. 123.* Nec aliâ ratione ἶσχις & lumbos notat, & ἰσχίον coxam, ἀπὸ τῆς ἰσχύος, à *robore*, quòd moles corporis hâc potissimùm parte sustineatur.

Adesse exosum hunc hospitem, produnt ex ESSENTIALITER INHÆRENTIBUS dolores in lumborum regione profundi, continuis & enormibus simul cruciatibus nostrum torquentes; protenso tristi sensu ad igvina, femur, genu, suram, & extrema pedis.

Idem confirmant ESSENTIALITER CONSEQUENTIA; actiones læsæ omnis generis, in *facultate animali* corpus movendi difficultas, torpor & infirmitas, item somni defectus; in *naturali* appetitus mediocris; in *qualitatibus mutatis* (quod & ad vitalem

vitalem actionem referri potest meritò) frigus extremorum, seu quòd crura aliquando calida, aliquando frigida fiant, & crispatio venarum.

Album pariter addunt calculum CAUSÆ PRÆGRESSÆ; malum inprimis hypochondriacum, aliaq; symptomata scorbutica, & egregiè isthæc fovens diæta, vituperium omninò incurrens. Unde *Dravitius* dolores hosce, calculum mendaci specie repræsentantes, pro scorbuticis habet *Tit. 9. de dolorib. scorbut. p. 346.* Harum verò paucis solùm mentionem hîc injecisse sufficiat, quòd inferiùs inter causas remotas latiùs recenseantur.

Nec SIMILITUDO denique abnuit; multi namque hujus notæ valetudinem experientes proclamati sunt à peritissimis Medicis affectu ischiadico laborantes, ac pro talibus curati quàm felicissimè.

Singula hæc non calculum dolorum horum patratorem arguunt, ut videri incautis posset, quod diversa à calculo φαινόμενα demonstrant; licet in quibusdam observatum sit, affectum ischiadicum præcessisse, vel comitatum esse calculum, cùm ex eodem fonte scaturiant.

Cum verò non lædat dolor hic primò ac immediatè actiones, sed continui solutionem intemperiei debitam, velut umbra corpus, sequatur; hinc *essentiam* illius considerantes ad symptomatum classem eum referimus, in specie actionum, & quidem animalium præcipuè, depravatarum, non tam ratione dijudicationis, quàm objecti improportionati.

Ratione *numeri*, infaustum notamus plexum atque nexum mali hypochondriaci, aliorumque scorbuticorum symptomatum, cum dolore nostro.

Ratione *temporis* adhucdum continuus quidem est; vi tamen analogismi chronicis optimo jure ipsum annumeramus.

Ratione *vehementiæ* magnum eundem pronunciare quid prohibet? non tantùm in comparatione ad reliquas arthritidis species, & ipsummet dolorem lumborum nondum inveteratum; sed & respectu affectæ partis ad motum summè necessariæ, rebellis naturæ morbi, & aliorum symptomatum.

Sub-

SUBJECTUM DENOMINATIONIS constituimus τὴν ὀσφὺν (quâ de vid. *Arist. l. 1. H. A. c. 13.*) καὶ σπονδύλους, *lumbos & vertebras* eorundem; quatenus & hæc constituunt τὰ ἄρθρα, *articulos*, seu articulantur per γίγγλυμον, & ad inflectendum variè corpus faciunt.

Notabile hîc est, tantò majores communiter esse articulorum dolores, quò major fuerit & insignior eorundem motus: unde gravissimus est circa acetabulum ossis coxendicis consistens.

SUBJECTUM INHÆSIONIS PRINCIPALE sunt *partes membranosæ*, fibris nerveis abundè instructæ, circa dictum clima occurrentes, ipsumque periostium; quoniam hæ partes solæ mediocritatem obtinent, ut quam *Philosophus l. 2. de animâ c. 12.* ad sensum requirit: seu, ut idem aliis tantùm verbis magis distinctè exprimamus, ad ductum *Excell. Dn. D. Præs. Præceptoris ac Patroni ætatem venerandi, in Physiol. Med. sect. 4. c. 7. p. 281. seqq. eleganter de tactu differentiis*; quia non dantur in loco affecto partes præter has, quæ maximè sint temperatæ, ac spiritu, alcoholisato inprimis, animalis nomen adepto, sufficienter vigoratæ.

ADÆQUATUM & MINUS PRINCIPALE absolvunt inguina, os femoris, genu, sura, & extima pedis, singulisque vicini musculi, in sinistro potissimùm latere; ad humerum quoque, brachium, & manum molestiis nonnunquam derivatis.

Si enim omnia, quæ circà ossa observantur, examinare lubido sit, tantum abest, ut illorum substantiam primariò affici statuamus, ut omnem manifesti tactûs sensum illi denegare, quàm attribuere tàm insignem, rectiùs existimemus; ne ipso quidem *Paréo* contradicente, qui tamen exiguas nervorum fibras in ea disseminari asserit. *Conf. ejus Anat. l. 3. c. 4. p. 109.* Quanquam enim sat celebris sit dolor ὀστοκόπος; illum tamen impropriè ita vocari, certò persvasi sumus, quòd tam exquisitus dolor immediatè ossibus circumjecti periostei, & vicinarum membranarum fit.

Cartilagines nemo, quòd sciam, principale affectûs subjectum constituit; nec in eas, ut in ossa, nervulos derivare quisquam est conatus, sed sensus illas expertes uno quasi ore omnes

Anatomici pronunciant. Cui asserto vel hoc solum satis patrocinatur, quòd inevitabilis semper foret dolor, quando femoris e. g. & acetabuli cartilagines continuo in motu invicem alliduntur.

De vasis sanguiferis & lymphaticis altioris paulò indaginis res videri posset, quam tamen in compendium redacturi dicimus, substantiam hæc quidem sortita membraneam, minus tamen nervosas esse fibras, quas utriusque generis venis *Galenus*, aliique attribuunt; in specie autem sic dictis *Fallopium* & *Vesalium* penitus denegare, celeberrimus *Rolfincius* refert *dissert. anat. l.5. c.6. p. 821.* in arteriis nihilominus dari, experimento & ratione confirmat *Dimerbr. l.6. Anat. c.1. p. 800.* Præterea enim, quòd anevrismata & varices sine tantillo ferè dolore perferantur, vena quoque secta nullum inducit, nisi qui à necessariò læsâ simul cute provenit; indicio sat manifesto, sensu illam, si quis adest, perquàm obscuro gaudere.

Nec de arteriis in specie scrupulus magni momenti est; sanguinem scilicet spiritibus refertum per illas meantem majori ipsarum sensui velificari. Arteriosi enim sanguinis canales venosi vasa densitate, ut hunc ille spirituum copiâ, prævalent: quod ita providenti statim naturæ partim, partim perpetuis pulsationibus adscribendum esse, arbitramur, occallescere illos sensim facientibus. Accedit motus causæ morbificæ per ipsas celerior; unde haudquaquam mirum est, experiri ejus potius insultûs partes non solùm delicatiores, sed in quibus subsistere insuper hostis hic potest.

Ligamenta non sustinemus ἀναίσθητα promiscuè pronunciare. De cartilagineis res quidem in vado est; membranosis autem sensum esse denegandum, negamus. Indeque satius est, à quibusdam allegata *Pergameni* loca cum grano salis accipere; loqui scilicet ipsum comparatè: quemadmodum (ut hoc obiter addamus) *Jul. Alexandrinus notis ad Galen. 9. de usu part. c.18.* ἀμύελον dici leonem, *ait*, ut ἀτράχηλον, καὶ ἄφωνον vocamus illum, qui brevi est collo, & exili voce: non quod omni penitùs careat medullâ, sed eam paucam obtineat, testante id αὐτόπτῃ *Columbo l.1.*

Anatom.

Anatom. c. 19. Cui medullæ, vel ſucco potiùs vertebrarum medullari; ſubjecti primarii titulum itidem denegamus, quòd per ſe animali ſenſu non polleat. Hinc neque conſiſtens in cavitate articuli dolor, quod *Trallianus*, *Arculanus*, *Mercatus*, aliiq; contendunt, ipſi κοτύλῃ ſeu acetabulo repleto adſcribendus venit, niſi per accidens, diſtentis ligamentis & tendinibus muſculorum. *Vid. Rolf. epit. affect. part. l. 4. c. 1. p. 367.*

Causa immediata eſt ſolutio continui, διάςασις τῶν συμφύτων μερῶν, *connatarum partium diviſio* vocata *Ariſtoteli lib. 6. topic. c. 8.* communis omnium dolorum genitrix. Non verò intelligimus eam conſummatam, quæ ſolutæ unitatis nomine venit; ſed incipientem, & intentatam, quam vocant in fieri, ut perfectam illam in facto: uti & juxtà *Hippocr. 2. aph. 47.* dolores tunc oriri & perſentiri conſtat, dum pus fit, non autem eo confecto; ſiquidem major longè efficacia eſt cauſæ triſtem inferendi ſenſum, quæ diſtendit partes, & rupturam minatur, quàm quæ hanc ipſo actu inducit. *Vid. Helmont. de lithiaſi c. 9. §. 12. ſeq.*

Prius autem quam definiamus, quæ causa mediata propinquior ſit, ex pathologicis ſupponemus, 1. in omni dolore eſſe velut ſpinam infixam, ſeu circulationem ſanguinis impeditam; quo facto, continuatâ nihilominùs perpetuâ pulſione, neceſſum eſt, fieri ῥευματισμὸν, ſeu influxum confertim & cum impetu; unde dolor, calor, tumor, variantibus his ipſis pro agentis humoris & patientis membri circumſtantiis.

2. Serum naturâ ſuâ blandum, roſcidum & dulcem humorem eſſe, qui ſibi relictus, tantum abeſt, ut affligat, vel triſti ſenſu mactet; ut potius partes, quas continuò alluit, ſuaviter afficiat.

3. In hypochondriacis verò & ſcorbuticis, aliisque inquinari illud ipſum ſalinis, acidis, tartareis, improportionatis atomis, quæ vel fluidæ hinc inde fluctuant congeſtæ, vel in coagulum fatiſcunt, vel ſaltim ςάσιν patiuntur & inducunt, poris membranularum inæqualiter illabendo.

4. Omnem dolorem materialiter à ſalibus eſſe, rodentibus, findentibus & lancinantibus, quando vel non diluta temperantur, vel διαχώρησιν patiuntur, prædominium nacta.

5. Illi parti potissimùm insi gi spicula, & labem affricari, quæ vel ab externâ injuriâ, vel aliunde nativâ vel acquisitâ gaudet debilitate fibrularum nervearum; unde excipere quidem allabentes vitales succos, non verò dimittere, nec resistere æquè valet.

6. Salium evolutionem & γένεσιν fieri inchoativè in culinis viscerum infimi ventris, continuatione verò factâ in reliquis locis, ubi filtrari & transire solent humores; idque tum ratione objecti, si abundent in assumtis acuentia sensim sensimque serum; tum culpâ efficientis, si deturpatis fermentis privatis, ex bono cibo pravus chylus, sanguis & serum enascitur.

Ex his, ut alia mittamus, patere potest, causæ proximioris vicem subire quoad *essentiam* serum, ob acetosum statum melancholicam, ob coagulabilitatem pituitosam κρᾶσιν excludens.

Neque aliud dicit synovia *Paracelsi tract. de podagr. p. 540.* & *Helmontii l. volupe vivent. morb. t. 15. seqq. p. 314.* quàm ipsum serum, pro nutrimento speciali ossium inprimis, ut & aliarum partium, γλισχρότητα suam expandens.

Quoad *essendi modum* peccat *quantitate, qualitate*, & *motu duplici, generationis* & *locali*. Non evacuatum decenter per loca debita, poros cutis, renes, aliaque emunctoria, congestum plus justo excrementitiam induit naturam, & acrius, asperius, salsius, acidius redditum, non sine bilioso quoque charactere & scorbutico, improportionatum constituit partibus laborantibus objectum.

Quòd si *motum generationis* perputemus, facile ex dictis erit eundem arcessere ex hypochondriis; sin *in locali* partem mandantem, seu *terminum à quo, ad quem*, & *per quem*, magis stabiliri, & illustrari affectûs poterit causa originaria.

Neque enim vel à capite ἐπίῤῥυσιν, seu influxum derivare opus erit cum veteribus quibusdam, qui lymphæ vasorum ignari, quòd eandem in capite copiosam invenirent, & referri inde cognoscerent, nec rarò deviare, inducti sunt credere, & arthritidem, & omnia adeò fluxionum genera inde velut à fonte proficisci. Nec à pyloro malè affecto unicè calamitatem profectam

asserere

asserere integrum est, quod *Helmontio* placet *l. Jus duumvir. t. 20. p. 243.*

Sine dubio enim PARS MANDANS idem membrum erit, ac succi nutritii; nec VIÆ diversæ, quàm ejusdem latores. Quid miri enim est, partem, quæ, juxtà receptam regulam, dulcibus nutriri debebat, malè habere, si alimentum accesserit peregrinum, & ibi hosticum evadat? Neque enim opus est, dato in massâ sangvineâ, vel toto, quopiam peregrino, omnes æquè affici partes; sed ad unam, hanc vel illam, hoc loco basin corporis, amandare archeum amurcam, postquam ibi labefactari cœpit œconomia, & labes affricari. Arteriæ fuderunt morbosum στάγμα, venæ & lymphatica vasa non reportârunt, sed bonam reliquêre partem magis magisque fracescentem, & vappescentem, adeoq; rodentem.

Terminum ad quem, seu PARTEM RECIPIENTEM esse lumbos, nemo facilè inficias ibit. Cur verò huc potissimùm regiam suam causa morbifica stabiliverit, disquirere operæ pretium est. Nominari possunt decubitus cœco ductu factus, debilitas partium à seminali ideâ impressa; cumprimis verò, quòd partes illæ, ob ossium crassius vallum, minùs sint porosæ & transpirabiles; adeoque faciliùs ibidem consistat humor, & circulus impediatur. Accedit vita sedentaria in nostro ægro, veneris frequentatio, & externum frigus, quæ singula plurimùm huc potissimùm invitârunt morbosum chaos. Tacemus, per ætatis illum decursum facilè potuisse lapsu, saltu, aliisque aberrationibus motûs partes illas suscipere promptiorem morbi admissionem.

CAUSARUM REMOTIORUM examen suscipere dum ordo nunc jubet, de SUPERNATURALIBUS sufficiet monuisse, quòd non desint quidem, qui dolores quosvis graviores & diutiùs durantes sagarum incantationi adscribere non dubitent; eò autem descendere, quis non supervacaneum judicet, ubi causæ manifestæ ad nauseam patent, nec quicquam insoliti, & ab aliis hujus conditionis ægris diversi occurrit?

In NATURALIBUS annum æger inter XL. & LX. agit, adeoq; eâ ÆTATE est, quam aptissimam ad ejusmodi generandum

 affectum

affectum judicavit *Hippocr. l. 2. prorrhet. c. 45. t. 1.* fortè, quod calidum innatum fortissimum usque ad annum XL. sufficere faciliùs possit dissipandis impuritatibus sanguinis coagulum intentantibus; post eum verò κατὰ τὸ πολὺ sensim imminuatur, nondum tamen ante LX. annum adeò sit debilitatum, ut à centro ad peripheriam ejicere materiam morbificam haud ampliùs valeat.

Ratione SEXUS virilis præ sequiori obnoxius est hujus notæ affectibus; quòd non stato tempore ordinariè, ut hic, excernat sanguinem cacochymicum æquè, ac superfluum. Quam causam allegans *Cous 6. aph. 29.* mulier, *ait*, podagrâ non laborat, nisi menses ipsi defecerint; quod tamen sexûs sui beneficium hodiè peccatis nonnunquam perdunt, unde fœminam exuentes vitiis virilibus damnantur, ut his parùm mutatis *Senecæ epist. 95.* verbis assentiamur *Galeno in comment. ad aphor. cit.*

Pluribus deteriorem hoc in passu virorum conditionem probaturus *Savonarola* diceret de nostro ægro: *quia magis* fuit *inordinatus, item magis coitivus*; ut expressa, licet barbara, ejus sunt verba, in genere de sexu virili loquentis, *in pract. maj. tract. 6. c. 22. rubr. 6. p. 275. B.*

TEMPERAMENTUM melancholico-pituitosum vel nudo nomine massæ sanguineæ impuritates abundè prodit. Quid enim aliud notat melancholia, ut jam innuimus, quàm statum seri particulis salinis fixis, acidisque, ac fluorem adeptis tartareis inquinatum: pituita verò, quàm serum ad coagulum mirum quantum proclive?

HABITUS CORPORIS ipse quasi loquitur, impar facilè id esse morbis repudiandis, atque levi negotio illorum invasionibus succumbere.

Ex NON-NATURALIBUS tempus hyemale, hujusque mali feracissimum autumnale præsertim, &, cui se aliàs etiam exponere solitus æger, AER frigidus, condensando fuliginosa cohibuit effluvia, in consortium corporis denuò recepta, & humidum nativum conspurcantia. Tacemus, eundem nervis esse inimicum, & figendis spiritibus animalibus, atque coagulando humori seroso aptissimum.

Cibi, quibus usus est, cùm bonam partem constiterint ex δυσπέπτοις, salitis, infumatis, pinguibus, muriatis, uberem omninò salium sylvestrium proventum procurârunt.

Largior vini potus ad ♀ri & acidi morbosi generationem egregiè fecit duplici nomine; quatenus scilicet particulis sulphureis promptiùs evolantibus obnubilati spiritus, & intemperatæ redditæ fuerunt oleosæ sanguinis particulæ; restitans verò sub istâ ingurgitatione amurca acida in ventriculo (vomitu mediante dentes stupefaciens) subinde chylum infecit, ejus dulcedinem vitiavit, & characterem peregrinum, suis locis separandum, impressit. Generosius verò vinum acidum licet magis occulat, illud tamen tum in docimastico universali corporis de se mittit, tum subtiliùs reliquis elementis nuptum in massam sanguineam invehit. Pertinet huc experimentum *Döringii*, qui ad celeberr. *Sennertum* perscripsit, ut hic refert *l. de arthrit. c. 2. p. 19.* è 24. mensuris vini Rhenani ferè ℥iij. ♀ri, è Tocaviensis verò, inter Hungarica generosissimi, totidem mensuris vix ʒij. in ♌ne repertas fuisse.

Vita sedentaria quantum ad cumulandos humores serosos, eosdemque corrumpendos valeat, vix dici potest: ut inde *Coi* nostri mens sit *l. 1. de diæt. c. 1. t. 18.* ȣ δύναται ἐσθίων ἄνθρωπος ὑγιαίνειν, ἢν μὴ καὶ πονέῃ, *homo edens sanus esse non potest, nisi etiam laboret.* Nec calor excitatur hoc torpore constante, nec dissipantur halituosa effluvia serosa; sed instar aquæ vitium capit non motu decenter vigoratus humor alibilis.

O intempestivum verò vigilandi studium, quod quieti, & viribus reparandis debebatur! In errore communi versatus eruditorum, corporis sui robur inquietâ cogitatione, nocturnâque vigiliâ minuit, ut loquamur cum *Celso l. 1. proœm p. 2.* nec vim suam reliquit ventriculo, quæ *Barclaji* sunt verba, evocato ad laborantis cerebri subsidium igne. Inde verò præsidibus suis tutelaribus destitutum serum facilè labem contraxit, torpidum, lentum, vappescens redditum, non procedentibus cohobiis viscerum.

Et alvi quoque non debitè succedens munus facilè negotium facessit infimo ventri, & reliquis hinc alimentariis humoribus.

 Venus

Venus nimia totum corpus, in specie lumbos, maximoperè debilitando, viam ingredi parato malo stravit. Hinc Bacchi & Veneris filiam esse podagram Poëtæ finxerunt, juxtà πολυθρύλλητον illud:

Λυσιμελοῦς βάκχου, καὶ λυσιμελοῦς ἀφροδίτης
Γέννατᾳ θυγατὴρ λυσιμελὴς ποδάγρα.

i. e. è solvilumbâ Venere, solvilumboque Baccho creata est solvilumba Podagra.

Ira, cui frenum sæpenumerò æger laxavit, agitando vehementiùs spiritûs & humores, in susceptâ operâ interturbavit viscera ministerialiter sanguificantia, & motum eorundem in exterioribus partibus inæqualem reddendo insigniter membra debilitavit, ut ausim dicere, vix venerem, vel Bacchum tantum in generandâ podagrâ posse, quàm effrenem iram.

Ex causis præter-naturalibus accusanda est viscerum δυσκρασία insignis, ob fermentum ipsorum, stantibus sic rebus, necessariò adulteratum, unde non ritè à plurimis hactenùs annis separârunt à massâ sanguineâ partes terreas, limosas, tartareas, salinas, per urinam excerni debitas; quæ fluitantes in eadem colophonem operi addiderunt. Verbo: non potuit non mali corvi malum ovum pronasci, ac æger, postquam aliquandiu ipsum afflictârunt varia symptomata scorbutica, modò respiratio difficilis & anxietas, modò hypochondriorum dolor, infelix demum exemplum regulæ evasit: nephritici & arthritici omnes sunt hypochondriaci.

Ex hisce causis enatus affectus sequentia produxit symptomata, quæ in historiâ signorum vicem obtinuerunt, quorum jam ratio reddenda venit.

1. *Lumborum dolor* est *profundus* ob partem ejusdem conditionis; *insignis* ob exquisiti sensûs subjectum; *continuus adhuc* ob vires materiæ peccantis hactenus accumulatæ, nunc ablegatæ huc nondum exhaustas.

2. *Dolor nonnunquam versùs inguina, frequentiùs versùs os femoris fuit protensus*, partim ob nervorum lumbarium decursum, partim eorundem concursum ad articulationem toto corpore insignio-

insigniorem præstandam; unde affectæ ibidem potissimum sentiuntur partes sensiles.

3. *Ardor femoris* sentitur à materiâ morbificâ per arterias in partes hasce sensiles confertim illabente.

4. *Tristis sensus ad genu, suram & extima pedis productus* diffusæ in subjectas vicinas partes salinæ morbificæ causæ debetur.

5. *Motûs impotentia* impeditæ articulationi tum lumborum, tum inprimis ossis femoris imputanda. Simulac enim motus animalis imperatur, ob tensionem majorem exacerbatio fit doloris; quin ob tumorem latentem non nisi dolorosa fit motitatio.

6. *Sinistrum potissimùm latus, dextro salvo, afficitur*, quòd illuc magis deposita, vel recepta fuerit morbosa humiditas.

7. *Versùs superiora nonnunquam, in humerum, & brachium ipsum* disseminavit dolorem materia illuc delata & transsumta.

8. *Nullus rubor & tumor adest externè*, ob profundiorem mali decubitum.

9. *Torpor labantia genua & manûs occupat*, à doloribus hactenus perceptis vigore partium læso.

10. *Accensis dolorum facibus, extrema nonnunquam frigent*; ob recursum sangvinis & caloris versùs suum centrum.

11. *Crispantur venæ ac intumescunt*, à turgentibus in iisdem & efferatis salibus.

12. *Vagus æstus* tum totius corporis, tum laborantium præsertim partium, à sangvine & sero intemperatis & vitiosè rarefactis oritur.

13. *Somni adest defectus*, tum ob inquietatos spiritûs animales, importuno etiam tempore pandentes cerebri poros; tum ob lympham quoque minùs blandam.

14. *Appetitus mediocris* restat, ob consensum dolorificum minùs urgente usu, constantibus tamen sic satis adhuc calore & menstruo, coctionis præsidibus.

Quid igitur ægro sperandum sit, talia ob explicatas causas patienti, dicendum venit. EVENTUM in genere ratione SALUTIS

TIS

NIS & MORTIS quod spectat, Hippocraticum verissimum est elogium, quod morbus hic sit ἐπίπονος, θανατώδης δὲ οὔ, *molestus, sed non lethalis*. Molestum satis est malum, quòd & dolorum continuatione, & vigiliis, aliisque symptomatibus satis fatigare solet ægros; prognosticon tamen generale, arthritidem & podagram non tam esse ex numero morborum necantium, quàm torquentium, etiam affectui huic nostro quadrat, quandoquidem ex ipsis sanguinis undis naturæ quodam robore ad membra ignobiliora materia vitiosa pellitur. Inprimis cùm latiùs diffundatur, non uno ischii articulo, fixo dolore, contentus; non adeò affligat, ut decumbat æger, vel vires sint debiliores; nec coxas & lumbos solùm obsideat; sed ἐς τὰ κάτω, ad infernas partes vergat magis, quàm ἐς τὰ ἄνω, versus superiora, confidendum est, faciliùs tolli eundem posse. Monendus tamen æger, facilè redire posse malum, præsertim annuis solennioribus revolutionibus, vere, vel autumno; unde maturè tunc antevertendo malo operam impendet, cùm melius & hîc sit prævenire, quàm præveniri.

Durationem, seu TEMPUS EVENTUS nimis breve determinare ipsa quidem morbi indoles prohibet, ad chronicorum enim classem pertinet affectus; cùm verò jam aliquot hebdomadas morbus duraverit, tantò citiùs jam erit expectandus ejus finis, modò ipse non negligens sui dicto audiens fuerit, nec quicquam committat, quod protrahere ac fovere eundem queat.

MODUM EVENTUS designamus διάλυσιν, seu *resolutionem*, materiâ peccante attenuatâ, & partim per insensilem transpirationem, partim per sudorem, & excretionem huic symbolicam, urinam, eliminatâ. Possibile etiam est, succedere, quod nonnunquam fieri assolet, calculum, ad renes ablegato, & concrescente humore ♀reo. Sed & illo metu vacuum esse ægrum posse speramus, si materiale illud calculi probè dissolvatur, ejusque generatio uberior prohibeatur. Neque ex circumstantiis adductis timendum est, ne claudus fiat, quod aliàs ischiadico affectu laborantibus non insolitum est.

CURATIO nunc subjungenda nititur receptâ indicationum triade. CURATORIÆ partes sunt, subjecto symptomatis

pro-

prospicere; inhærentem illi materiam resolvendo & dissipando; eamque, in M. S. quæ adhuc fluitat, pariter attenuando, ut per vias ordinarias excerni possit.

Præservatoria circà subjectum causæ occupata scorbutum suscipit amoliendum; ne, si unum huic monstro caput amputetur, centum alia repullulascant.

Vitalis virium solicitè rationem habens roborabit non solùm partes recipientes, sed viscerum etiam reliquorum tonum, conservando appetitum, corrigendo vigilias, mitigando dolorem, & auferendo membrorum torporem.

Indicata ab his auxilia ex triplici usitato depromemus armamentario. Ex CHIRURGIA laudamus generosum illud, & magnorum morborum remedium, Venæ sectionem. Observatum est per frequentiorem experientiam, nec arthriticos alios, nec ischiadicum cumprimis dolorem feliciter tolli posse, sine sanguinis missione. Hæc enim revellit à loco affecto consistentem sanguinem, & in motum legitimum asserit. Hæc temperat, & alterat ebullientem plùs justo sanguinem, ut defervescens mitiùs influat. Hæc educit improportionaliter excedentem si non mole, tamen virtute (ut ita loquamur) sanguinem. Hæc fluxiliorem eundem reddendo coagulationem prohibet, & consistentiam stabilit. Secetur vena cephalica, vel ischiatica in pede affecto, sanguinem ad ℥iij. vel iv. educendo. Cogitari etiam pro re natâ in posterum poterit de medianæ, vel salvatellæ sectione.

Vicariæ hujus Cucurbitulæ cum & sine scarificatione non minorem merentur commendationem, tum discutiendi & evocandi, tum educendi sensibiliter fine, inprimis si malum diutiùs perstiterit.

Frictiones, subsistentibus humoribus serosis dispellendis unicè debitæ, ut sæpè visæ sunt vel solæ mitigasse dolorum incendia, ita cordi meritò habendæ, institutæ vel solâ manu, vel simul nervinis litibus, ut eò promptiùs juvent, parte unà roboratâ.

Vesicatoria probatissima esse doloris ischiadici re-

 media,

media, unanimis autorum quasi omnium est sententia; & visi sunt ægri frustrà aliis remediis usi ab hoc solo sæpè reportasse levamen. Unicum laudabimus dignissimum lectu locum *Pauli l. 3. c. 77.* ubi cùm sinapi cum caricis impositum laudasset, perfectè, *inquit*, ischiadicos restituit iberidis herbæ usus, quam sanè etiam lepidium, alii verò sylvestre nasturtium appellant. Iberin his casibus prodesse sine dubio est, cùm sit thlaspios species, illam verò lepidium dictam etiam *Galeno*, videatur *Bod. à Stapel. comm. in Theoph. hist. plant. l. 7. p. 765.* ipse verò speciatim lepidium genuinum, quod Plinianum vocant, & commendat, & eodem modo ac *Plin. l. 19. c. 9.* describit. Quæ verò, *pergit*, apud nos nascitur fruticosa, foliis lauri similibus, & multò majoribus, multam de se experientiam dedit, non solùm in coxendicum, sed etiam aliis diuturnis morbis. Quod verò *Dodonæus pempt. 5. l. 4. c. 24. p. 714.* lepidium existimari etiam scribit herbam Griadem *Apuleji l. de medicam in herb. c. 50. p. m. 170.* quam cum adipe ursino impositam ischiadicos tertiâ die sanare refert, descriptionem intuenti vix persvadetur. Adhiberi hinc potest emplastrum rubefaciens ex pice, sinapi, & sulphure; vel vesicatorium ex cantharidibus usitatum.

Sin malum contumaciùs inhæreat, vel revertatur, svademus inustionem FONTICULI in affecti pedis domesticâ vel sylvestri circà suras parte; quò exitum inveniat salinus ichor, & vellicare hinc cesset membranosum genus.

Ne verò quid intactum relinquamus, commendanda quoque venit INUSTIO ACTUALIS, hodiè denuò sub moxæ peregrinæ habitæ, & ab Indis repetitæ, apud nos tamen nascentis artemisiæ concerptæ mollugine præstanda. Audiamus antiquissimum *Hippocratem*, qui *libro de affection. c. 30. t. 12. si in unum aliquem locum incubuerit dolor, & constiterit, & medicamentis non fuerit exactus*, καῦσαι, inquit, καθ' ὁκοῖον ἂν τόπον τυγχάνῃ ἐοῦσα ἡ ὀδύνη· καίειν δὲ τῷ ὠμολίνῳ, *urito, quocunque loco fuerit dolor: urito autem lino crudo.* Non potuisset sanè ipsius moxæ tam decantatæ meliorem descriptionem dare. Quod ut magis pateat, per linum crudum non intelligere, tenendum est, sine ullâ

præpa-

præparatione tale; ſed nondum in fila aptatum. *Proſp. Martianus comm. in l. de affect. ſ. 2. v. 25. pag. 170.* proceſſum integrum doctè & nervoſè his deſcripſit: *accipiatur linum crudum, & arctè conglobatum reducatur in formam pyramidis, cujus baſis latior in anguſtum coarctetur. Magnitudinem, ſeu latitudinem baſis indicabit locus inurendus: non ignorato, uſtionem aliquanto latiorem fieri, quàm ſit baſis pyramidis. Hæc igitur in ſummitate accenſa loco inurendo apponatur, ibiq; reſideat, donec tota materia abſumta ſit; nam ignis ſerpendo ad cutim perveniens uſtionem facit; Et, quod mirum videtur, ferè inſenſibiliter, & ſine dolore. Extincto igne, porum elixum imponebat Hippocrates, donec, quod exuſtum eſt, decidat. Noſtri butyrum cum caule adhibent; indeq; ulcus apertum ſervetur ad libitum.* Quæ ſubjungit alia, quibuscum alii laudatas uſtiones parârint, videantur apud ipſum *l. c.*

Ex PHARMACIA probatiſſima quoque depromere licebit remedia: & quidem ut receptæ methodo conſultandi inſiſtamus, primùm nominamus LENIENTIA. Alvum ſuccedere ſi in ullo, in hoc ſanè morbo, pernéceſſarium eſt. Expediri poteſt tum per os aſſumptis, tum per inferius guttur infuſis.

℞. M P. ♀ *ear. Schröder. aloës violat.* a. ℈iß.
elix. antiſcorb. q. ſ. M. F. l. a. pil. LX.
S. öffnende Pillen X. auff 1 mal.

℞. *decoct. commun. pro clyſt.* ℔j. *electuar. diaphœn.* ℥vj.
ol. ♏. *Mathiol.* ℥iß. M. F. Clyſter.

℞. *rad. alth. malv. caryophyllat. helen.* a. ℥iij.
herb. 5. emoll. chamædr. fl. chamæm. lil. alb. a. mß.
caric. pingv. n. vj. Coqv. in ſ. q. 🜄*æ ſimpl.*
Colat. ℔j. adde *ol. rut.* ℥j. *ſacch. Thom.* ℥ij. M. F. l. a. Clyſter.

PRÆPARANTIA cùm ab ipſis alterantibus non differant, ex illorum claſſe huc facilè trahi queunt, neceſſaria tamen ad aptandam eductioni materiam, ut tantò feliciori id peragatur ſucceſſu.

PURGANTIA ſubſequuntur, deplendæ ſaburræ ſeroſæ ca-

cochymicæ apprimè debita. Frustrà enim fuerit, citrà horum adscitum consortium solis insistere alterantibus; debilioribus scilicet, quàm ut subigere sola infestum articulis humorem possint. Prosunt eadem & in statu præservatorio, & curatorio; illo, ut antevertant, & aliorsum invitent colligendos humores; hoc, ut expulsis morbificis humoribus, reliqua præsentiorem sortiantur effectum & aditum.

℞. *rob. sambuc. purg. Sennert.* ℨiß.
gialap. resin. ℈j. *cryst.* ♃*ri* gr. viij.
resin. scam. gr. iv. *facch.* parum. M. F. l. a. bolus.
S. Laxier-Bissen.

℞. ▽ *laxat. Minder.* ℥ij. *extr. cath. Andern.* ℈j.
⊕ *tiat.* gr. vj. *sir. ros. sol.* q. s. M. F. l. a. potiuncula.
S. Purgier-Tränckklein.

℞. *rad. caryophyllat. acetos. cichor.* a. ℥j.
fol. chamædr. summit. cent. min. fumar. a. mß.
fl. 4. cord. a. p. j. *cort. tamar. cappar.* a. ℨiß.
senn. Alexandr. s. s. ℥ß. *rhab. Alex.* ℈iv.
agar. troch. ℨß. *costi ver.* ℈j. *schœnanth. cryst.* ♃. a. ℈ij.
Concis. contus. g. m. D. in sind. rubr. S. Laxier-Püschel.

Diaphoretica ægrum mirè solabuntur, disgregando, & per poros, quos aperiunt simul, dissipando materiam morbificam non solum in articulos sævientem; sed in ipso etiam totius corporis habitu. Ut adeò & causam continentem & antecedentem foventem respiciant, &, ceu divina seri exorbitantis præsidia, symptomatibus tam præsentibus, quàm metuendis egregiè obviam eant.

℞. *M. S. antiscorb.* ꝶæ *bez. Mich.* a. ℨj. M. D. in vitr.
S. Schwitz-Mixtur. Dos. gtt. xxx. XL.

℞. ꝶæ *bez. Dn. D. Præs.* ℨij. ⌒ *cochlear. urinos.* ℨß.
essent. anod. ℈ß. M. S. Sonderbare Mixtur. Dos. gtt. xxx.

℞. *rob. ebul.* ℨj. ♁ *diaph.* gr. xv. ☿ *nat.* gr. vj.
laud. opiat. gr. ß. *sir. card. bened. & facch.* q. s.
M. F. l. a. bolus. D. ad chart.

Pluri-

Plurimum item auxilii DIURETICA polliceri, ex ſuperiùs plùs vice ſimplici dictis liquet. Hæc non minùs ac diaphoretica cauſam morbificam promptè aggredientur, aperitiva genuina, & incidendo ac reſolvendo, quod minùs halituoſum & diſſipabile, per renes evacuando expedient. Unde & inter ſpecifica locum apprimè inveniunt utraque, & diaphoretica & diuretica. Nec fulmen *Capivaccii* timendum eſt apud *Craton. conſ. 154.* diureticis, *inquientis*, calculus inducitur, & iſchias augetur. Valet enim potiùs altera regula practica *Cratoniana conſ. 352.* non aliud eſſe præſtantius remedium pro podagrâ (adde & iſchiade), quàm quod urinam movet, & ſudores ciet.

℞. *ſem. 4. frig. maj. milii* ⊙. a. ʒj. *amygd. dulc. excort.* ℥ß.
▽æ petroſ. alkek. chamædr. a. q. ſ. *roſ.* ʒvj.
M. F. l. a. emulſio.
Colat. add. *magiſt. oc.* ♋. ℈iß. *ſir. dialth. Fernel.* q. ſ.
S. Harn-treibende Milch.

℞. R*æ violar.* ʒij. ~ ⊖ *ſtriat.* ʒj. M. D. in vitr.
S. öffnende Mixtur.

ALTERANTIBUS quoq; in ſpecie ſic dictis indigebit æger, quæ corrigendo miaſma ſanguinis ſcorbuticum, viſcerumque fermentum adulteratum, horum ſimul tonum reſpiciant, ſicque diſpoſitionem ad affectum noſtrum auferendo ipſummet jugulent.

℞. *eſſent.* ⊕ ♂*tis Ludov.* ʒij. *anod.* ℈ß. M. D. in vitr.
S. Scharbocks-Eſſentz.

℞. *elix. propr. antiſcorb.* ʒij. ~ ⊖ ✱*ci vinoſ.* ʒj.
oo *caryoph.* gtt. ij. M. D. in vitr. S. öffnende Mixtur.

℞. R*æ* ♂. *pomat.* ʒij. *arcan.* ♀*ri* ʒj.
M. D. in vitr. S. Blutreinigende Tinctur.

℞. *arcan.* ♀ ♂*lis*, *mixt. antiſcorb.* a. ʒj. M. D. in vitr. S. u. ſ.

℞. *eſſent. lign. compoſ.* ʒij. R*æ* ♄ ♀ *ſat.* ʒj. M. S. ut ante.

℞. ~ ⊖ ♀ *volat. cochlear. urinoſ.* a. ʒj. M.

℞. ♁ ♂lis *cachect. cinnab. nat. ppt.* a. ʒj.
magist. matr. perl. oc. ♋. a. ℈j. *laud. op.* gr. j.
M. F. pulv. Divid. in 7. part. æqu. S. in ch. Glieder-pülverlein.

℞. *spec. diarhod. abbat. diatr. sand.* a. ʒj.
croc. ♂ ♀*rat. cinnab. nat.* a. ʒß.
rad. ari ppt. oc. ♋. *ppt.* a. ℈j.
☍ *cinam. caryoph.* a. gtt. j. M. F. pulvis.
S. Stärckpulver.

Sin dolores urgeant, & vigiliæ inde productæ; illis quoque seorsim medela quærenda est, tanquam symptomatibus causæ vestem induentibus. Hoc fine & emulsiones & anodyna tum per se data, tum cum aliis remiscenda facient officium.

℞. *amygd. d. ambros.* ℥ß. *sem. 4. fr. maj. papav.* a. ʒij.
M. F. l. a. cum ▽ *hypnot. Dorncrel.* ℥iij.
acac. ceras. nigr. chamædr. sambuc. a. ℥j. emulsio.
Colat. add. *magist. anod. Rolf.* gr. viij. *juleb. ros.* q. s.
M. D. in fict. S. Ruhe-Milch.

TOPICA repellentia in malo jamdum confirmato proscribimus, ne æger incidat in scyllam, dum vult vitare charybdin. Discutientibus, & articulos roborantibus, nervinis rem tutiùs committi posse, arbitramur; quorum agmen ducat linimentum nervinum *Wedelianum.*

℞. ∽ *magnan.* ℥ij. *lumbr. vol.* ⊖ *✱ci* a. ℥ß. M.
℞. *empl. diaphor. Myns.* ℥ß. *magnet. de mn. Vig. c.* ☿. a. ʒij.
☍ *sapon.* q. s. M. F. l. a. empl. D. in ch. & vesic.
S. Zertheilend Pflaster.
℞. *empl. diasulph. de tacamah.* a. ℥ß. *ungu. arthrit.* q. s.
M. F. l. a. empl. extendatur super alutam, & obduc. sind. rubr.

Balneum etiam formicarum discutiet, evocabit, ac roborabit simul, sive nidum sylvestrium majorum sacculo inclusum coquas in ▽. f. sive addere malis plantas specificas.

℞. *rad.*

℞. *rad. helen. alth. bryon. symph.* a. ℥j.
herb. agrimon. beton. iv. arthrit. chamædr. puleg. a. mij.
origan. serpill. lavend. siderit. rosm. salv. a. mj.
fl. chamom. miij. *bacc. laur.* ℥j. 🜍 *viv.* ℥iß.
M. S. Species zum Bade.

DIÆTAM brevibus subjungendam exactè observare debet æger: quod nisi faciat, vix ac ne vix quidem poterit declinare majorem adhuc miseriam facillimè subsecuturam. Nam & de hoc affectu ille Arabum aphorismus utique valet: omnis recidiva est deterior suâ radice, vel sexcentis arthriticorum exemplis veritatem ejus confirmantibus.

In VITALI AER sit temperatus, ad calorem & siccitatem inclinans. Frigidus cane pejus & angue fugiatur; muniat non solùm corpus & defendat à frigore, sed & pedes cumprimis, ne sanguis torporem & στάσιν concipiat.

In NATURALI CIBOS εὐχύλους καὶ εὐπέπτους, qui alimentum præbeant γλισχρὸν, ac dulce, sensu medico, i. e. peregrinarum qualitatum expers, assumat justo tempore ac modo, ad σώματος αἴσθησιν, *corporis sensum* mensurâ factâ. Imò si nonnunquam planè jejunium aliquod instituere velit, eò meliùs sanitati suæ consulet. Potus item non illam excedat mensuram, quæ pro siti sedandâ sufficit: nec tamen tantum de illo subtrahatur, ut chyli evaporatio, & scybalorum alvi processio dein impediatur.

Vinum in specie, quantum fieri potest, vitet; aut, si tale sit, quod in sanis arthritidem ferè nunquam generat, parciùs tamen illud bibat; probè simul observans, num aliis planè innoxium ipsi nihilominùs noxam intentet.

In ANIMALI MOTUI membra sensim assvescant; cumque ab imbecillitatis notâ penitùs fuerint liberata, se ad lenem sudorem interdum exercere antè prandium, non oberit: contractum autem motu calorem evanescere sinat priùs, quàm cibum aut potum sumat. Sed hîc quoque in aurem sibi dictum putet: ne quid nimis. Post pastum præsertim motum fortiorem haudquaquam suscipiat, ne chylus in vasa semicrudus præcipitetur.

SOMNO

SOMNO reficiat quidem sufficienter corpus; non tamen torpidum planè reddat. ANIMI AFFECTIBUS vehementioribus, inprimis iræ, pesti articulorum, frenum neutiquam laxet, tanquam variæ ἀταξίας in corpore autoribus. VENUS sit paulò temperatior, quàm hactenùs; aliàs in fine nocet empta dolore voluptas.

EXCRETIONES per alvum & urinam non deficiant. Illam desciscentem officii sui admonebunt medicamenta ἐκκοπρωτικὰ, & pro circumstantiis purgantia ipsa; hanc aperientia polychresta interdum adhibita.

UT pergis, pergas, pergendô semper honore
Palladiô crescas Pœonioque simul!

gratulabundus f.

Rudolph. Wilhelmus Krauß/D. P. P.

HOBERGI, indomitos dum sedas arte dolores,
ægriq; & Phœbus præmia certa parant.

Pereximio Dn. Respondenti gratulor

PRÆSES.

DE curâ Ischiadis dum doctè prospicis ægro,
Ominor applaudens prospera quæque Tibi.

Testandæ benevolentiæ causâ pos.

Augustinus Henricus Faschius, D. P. P.

ISchia cur doleant, exponis. Perge, dolenti
& Tibimet dolor hic gaudia mille dabit.

Boni ominis & faustæ adgratulat. ergò Nobiliss. atque Literatissimo Dn. HOHBERGIO, Convictori & Inquilino suo gratissimo ac honoratissimo, ex Cathedrâ Medicâ de DOLORE ISCHIADICO publicè disputaturo, scribebat

Caspar Posner, Natural. Prof. Publ.